

Ceterum, putat Lugo n. 17. hanc inaequalitatem posse aliunde compensari: v. g. si Petrus conferat 2000. pro capitali, & Paulus operam, quae aestimatur 500. concedaturque Paulo, ut reddito prius capitali ipsi Petro lucrum dividatur per partes aequales, ita ut si lucrum sit 2000. Paulo competat 1000. quo casu adeo possit crescere spes majoris lucri ex divisione per partes aequales facienda, ut illa spes compensaret timorem non lucrandi, vel perdendi valorem operis.

605. Utraque facilius deprehendi possit aequalitas & iustitia contractus, statuit idem Auctor pro regula, ut contractus comparetur cum alio contractu, qui sine tali reservatione contractus fieret: nempe si ex capitali pecunia, & opera fiat unum capitale commune utriusque Socii, & remanens simul cum lucro dividendum fit Sociis per partes aequales, vel proportionales, si inaequaliter contulerunt, v. g. si Petrus contulit 1000. & Paulus operam quae valebat alia mille, & lucrum sit alia 1000. singuli recipient mille, & neuter lucratur: nam Petrus recipit 1000. collatos, Paulus vero recipit 1000. tanquam valorem operae collatae. Si vero opera valebat 500. ex ipsa & capitali a Petro collato sunt 1500. & quod ex illis remanet, simul cum lucro dividitur inter utrumque per partes inaequales, dando Petro duas tertias partes, & Paulo unam, v. g. si lucrum sint etiam 500. quae cum mille prioribusificent 1500. Paulus accipiet 500. & Petrus 1000. & consequenter neuter lucratur. Si vero lucrum sit v. g. 1100. quae cum mille collatis a Petro faciunt 2100. & simul computentur 500. quibus aestimatur opera Pauli, Petrus accipiet 1400. & sic lucrabitur 400. Paulus accipiet 700. & lucrabitur 200. Ita Lugo putat iustificandum contractum quando unus pecuniam confert, sed cum pacto, ut sit communis, ita ut etiam periculum illius commune sit.

Quod si vero Petrus sibi reservaret capitale integrum, & noller illud esse commune (& hic est modus contrahendi, quem volunt esse praesumendum Auctores pro secunda sententia superioris relati, & consentient Theologi, Molina n. i. in fine, Fillucius n. 44. & 46. & Lugo n. 21. quando nullo pacto contrarium exprimitur) in hoc casu ut servetur iustitia in divisione solius lucri, docet P. Molina d. 447. multo maiorem partem lucri esse assignandam illi, qui operam apponit, quam alioquin illi responderet, si pecunia collata communis & dividenda esset: Vnde contingere posset, ut altero Socio apponente 700. pro capitali reservato, & altero apponente operam valentem 100. in ordine ad participandum de lucro aestimanda esset opera perinde ac si valeret 700. & ideo lucrum dividendum esset in partes aequales.

606. Pro praxi autem, & ad observandam dictam proportionem, investigant Theologi Re-

gulam. Et quidem P. Lessius n. 12. & seqq. hanc ponit regulam. Si Petrus v. g. conferat 1000. pro capitali, quod sibi vult integrum reservari, adeoque in pactum deducit asecurationem, & alter conferat operam, aestimanda imprimis est asecuratio ipsius capitalis, vel melius, aestimandum est, quantum summam redimi posset periculum capitalis, (ponamus valere 100.) deinde aestimanda est spes lucri futuri ex capitali deductis expensis (ponamus valere 100.) ex altera parte considerandus est valor operae (ponamus esse 100.) tunc contracta Societate de capitali integro restituendo, & solo lucro dividendo, dividendi sunt fructus perinde ac si primus contulisset 300. & secundus 100. nam primus censetur conferre periculum sui capitalis, quod periculum redimere posset dando 100. & spem fructuum, quae aestimatur 200. itaque 300. censetur expendere. alter vero expendit solummodo operam valentem 100. debet ergo lucrum dividi in 4. partes, quarum tres pertinent ad primum, quarta vero ad secundum.

In hac Regula videtur P. Lessius per oblivionem praetermissis aestimationem lucri, quam confert ille, qui solum operam confert; nam hac non minus est aestimanda in favorem conferentis operam, quam in favorem conferentis pecuniam: quia etiam ultra valorem operae spes lucri habet aestimationem, ut ad vertit Lugo n. 20. ergo si spes lucri ex 1000. capitali emeretur 200. spes lucri ex opera valente 100. emeretur forte 20. solutus 100. pro eius valore. De reliquo Lugo approbat Regulam Lessii.

607. Circa hunc contrahendi modum notant praedicti DD. quod quamvis dominium capitalis quamdiu non expenditur, maneat penes conferentem, & eius periculo sit, si tamen ab altero operam conferente expendatur pro mercibus, merces fiant communes, ita tamen, ut in divisione prius totum capitale extrahatur, adeo quidem, ut etiam si praeter capitale nihil superest, illud tamen totum cedat illi qui capitale contulit, quidquid negaverit Fillucius. Ratio est, quia sic capitalis si perierit, perierit soli Domino, ita si nullum sequatur lucrum, opera perit soli illi qui operam apponit, & sic apparet, quod Societas facta sit ad solum lucrum.



CON-

CONTROVERSIA VII.

Vtrum in Societate valeat Pactum Asecurationis.

SUMMARIUM.

Propositur forma Contractus asecurationis. 608. Auctores approbantes & improbantes Contractum. eod.

Refertur Bulla Sixti V. 609. Declaratio ipsius Pontificis Consulti super hanc Bullam. 610.

Valeat contractus, quo salvum capitale reservatum conferenti, observatis conditionibus, quae hic recensentur. 611.

Solvuntur objectiones. 612. Conferens capitale debet persuasum habere, quod alter sit negotiaturus, & sperare lucrum. 613.

An res Contractus inclusi debeant fieri successivae. 614. An debeant celebrari expressè. 615.

An possit conferens operam obligari ad dimidium damni capitalis, si perierit, si non perierit, accipiat solum quartam partem. 616.

An conferens capitale possit ab altero exigere pignus pro asecuratione. 617.

608. QUERITUR, an licitus, & ab usu labile immunis sit contractus huiusmodi. Conferit Petrus in Societatem v. g. 1000. ante hoc pacto, ut alter Socius operam conferens capitale hoc asecuret, hoc est, eius periculum in se recipiat: deinde ex lucro sperato quomodocumque res succedat, Petro solvat singulis annis 50. vel 60. & quamvis spes lucrandi se magis extendat, propter periculum tamen, quod Socius in se recipit, Petrus minus exigit.

Hunc Contractum approbat Layman tum c. 18. n. 11. tum c. 20. n. 2. ubi bene advertit in hoc contractu tres contractus involvi. Primus, ac principalis est Societatis: Alter accessorius est Asecurationis: Tertius est Venditionis, quae spem lucri vendis pro so. Eundem contractum approbat Castro Palao pluribus aliis adductis p. 5. quos etiam sequitur Lessius, Bonacina, Card. de Lugo n. 40. sed cum conditionibus ibi assignatis, & postea referendis, estque sententia communior. Contractum hunc improbat ex Theologis Sorus, Azor, Rebellus, aliique, quos avertit Diana 1. tom. iv. de Contr. resol. 30. Ex iuristis Antonius Gomez, & quidam alii, quos sequitur V Vidman n. 34. eumque reprobant simpliciter tanquam usuram sapientem, ob Bullam Sixti V. postea referendam, cuius nullam mentionem (quod miror) facit Layman, sicut nec Castro Palao. Tria ergo praestanda sunt. 1. Ipsa Bulla exhibenda. 2. Quid efficacia & ponderis habeat illa Bulla, & in quo rigore sit intelligenda, Christ. Haun. de Just. Tom. IV.

quandoquidem praxis habet, ut eiusmodi Contractus in eandem frequentet. 3. Quid ex natura rei dicendum sit, seclusa lege positiva prohibente. Bulla ergo sic habet.

609. [Detestabilis avaritia: ingluvies, & insatiabilis lucrandi cupiditas malorum omnium radix, usque adeo exacerat mortalium mentes, ut multi nimis avidè lucro inhiantes in laqueos & insidias diaboli miserè incidant, &c. Nam multi speciosum & honestum Societatis nomen suis sepe peratitibus contractibus praetextendo, hoc quasi colore & facio mercatoribus, opificibus, negotiatoribus, & aliis personis super eorum mercibus & officinis, tabernis, pannariis, aliisque rebus ac bonis pecunias suas, aut alias res Societatis nomine conferunt, vel greges, armenta, aut certa animalia agricolis seu terrarum cultoribus, pastoribus, aliisque rusticis, seu quibusvis personis in Societatem eam conditione, ut fors ipsa seu caput, quod vulgò dicitur capitale, tam pecuniarum, quam animalium & rerum, salvum semper, & integrum exsistat, pro eo qui non industriam, aut operas, sed pecunias, animalia aut res huiusmodi in Societatem confert, utpote omne periculum & damnum ab altero Socio recipiente sustineatur, contra aequitatem & Societatis iustitiam diversimodè paciscuntur, eosdem Socios, cum quibus contrahunt, plerumque pauperes & egenos, sedque labore & industria vicantes ad sortem, seu capitale restituendum, quicunque tandem casus rerumque eventus consequatur, pacto & obligatione adstringunt, simulque etiam certam lucri quantitatem & summam, veluti tot pro quolibet centenaria in singulos annos aut menses per alterum Socium durante Societate solvendam praesumunt, ac praescribunt, eamque summam & quantitatem non subductis rationibus accepti & expensi, quod in codicibus seu tabulis Societatis referri solet, neque factò calculo, vel computo, pro ipsius lucri vel damni modo variabilem, sed laborem & curam computandi, & calculandi, se invicem remittere & remittere asserentes, quovis tempore certam constituunt.

Proinde Nos, &c. de attributa Nobis Apostolica Potestate plenitudine hac nostra perpetua vilitate Constitutione damnamus, & reprobamus omnes, & quoscunque Contractus, Conventiones, & Pactiones post hoc in eundem, seu in eundem, per quos, seu quas cavebitur personis, pecunias, animalia, aut quascunque alias Res Societatis nomine tradentibus, ut etiam fortuito casu quamlibet jacturam, damnum, aut amissionem se qui contingat, fors ipsa seu capitale semper salvum sit, & integrum a socio recipiente restitatur, sive ut de certa quantitate, vel summa in singulos annos aut menses durante Societate respondeatur.

Statuimusque, huiusmodi Contractus, Conventiones, & Pactiones usurarias, & illicitas posthac censeri debere, atque improbitur

Bb

non

non licere ipsi, qui pecuniam vel animalia vel alias res in Societatem tradent, de certo lucro, ut præfertur percipiendo inter se pacisci, & concordare: neque etiam live ad certum five ad incertum lucrum convenirent, socios, qui ea accipient, ad sortem seu capitale saluum & integrum, ubi illud casu fortuito perierit, vel amissum erit, reddendum quovis pacto, aut promissione sibi obligare. ac ne de cetero Societates incantar sub huiusmodi pactis & conditionibus, quæ usurariam pravitate sapiant, districtè interdiciamus & prohibemus.

Sed potius cuncti noverint, Societates huiusmodi, cum in posterum unus pecuniam, animalia, aut alias res & bona, alter verò operam, vel industriam confert, purè, sincerè, & bonà fide, licet decet, iustis & æquis Conditionibus & Pactis, secundum iuris dispositionem, ac sine ulla proflus fraude, palliatione, aut usurarie pravitate labe, aut suspitione ineundas, seu contrahendas esse, ita ut non ad certam summam, aut quantitatem ab omni periculo, & damno, ut præfertur immunem lucrum nomine persolvendam, neque ad capitale, si casu fortuito perit, restituendum locus accipiens teneatur.

Si verò finitâ Societate ipsum capitale exstat, et qui illud in Societatem contulerit, restituitur, nisi socio recipienti fuerit communicatum, aut aliter inter ipsos contrahentes super eo legitime conventum sit, ac præterea iidem contrahentes fructus, expensas, & damna in commune conferant, & prout æquum & iustum erit, sibi communicent atque dividant.

Deserentes, si qui Contractus, Conventiones, & Pactiones in futurum contra nostram huiusmodi prohibitionem defacto iniri fuerint, nullam ex eis, tanquam per hanc eandem Constitutionem nostram damnatis, & reprobatis, etiam si juramento aet formâ Camere Apostolicæ, vel aliis quomodolibet roborati fuerint, obligationem Civilem aut naturalem oriri, nullamque actionem realem, aut personalem, nec iudicis Officium, neque aliud quodcumque ius, cuiquâ competere, neque quoad sortem, seu capitale integrum recuperandum, quod casu fortuito perierit, aut amissum erit, neque quoad certas summas, & quantitates in singulis annos, aut mensibus sacri socialis nomine promissas.

Si qui verò in posterum, sub prædictis conditionibus & pactis contrahere temerè præsumperint, aut præterea similitum Contractuum, Conventionum, & Pactionum Societatis nomine initorum, qui hucusque durant, ad exactiorem dictæ sortis, seu capitalis, five illius pretii, & valoris, postquam illud in toto, vel in parte casu fortuito perierit, aut amissum sit, aut certam summam vel quantitatem annuam, aut mensuram sibi promissam in futurum procedere ausi fuerint, eos universos & singulos in pœnas contra manifestos

Usurarios & Feneratores à Sacris Canonibus, & Conciliis Generalibus laicos, & promulgatas, eo ipso incurrere, & contra illos, ut manifestos Usurarios & Feneratores, viâ Iuris, alisque opportunis remediis procedi posse & debere. si que ab omnibus censeri, & ita quoad præmissa universa, & singula per quoscunque Iudices, & Commisarios, quâvis Auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores ac S. R. E. Cardinales (sublatâ eis eorum cuilibet, quâvis aliter iudicandi, & interpretandi Facultate, & Auctoritate) ubique iudicari, declarari, ac definiti debere, nec non irritum & inane, si secus fuerint, per quoscunque quâvis Auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Mandamus verò universis, &c. (ut in aliis Constitutis.) non obstantibus quarumcumque Civitatum, Provinciarum, & Locorum iuramento, Confirmatione Apostolice, & vel quâvis aliâ Firmitate roboratis Statutis, & Litteris Apostolicis, quorumcumque tenorum existant, five per modum Constitutionis, & Legis perpetuè quomodolibet concessis, etiam sæpius approbatis & innovatis, quæ omnia nolimus de cetero cuiquam, suffragari, &c.] *Sequitur Promulgatio, &c.*

610. Circa hujus Constitutionis rigorem quem verba præ se ferunt, & quoad prohibitionis, ac annullationis univèrsalitate consultus ipse Pontifex, fertur se declarasse (ut testatur P. Azor à viris fide dignis se audivisse) quòd solum voluerit prohibere ea pacta, quando iniusta & usuraria essent, non verò quando essent iusta. Filicinus c. 3. n. 59. huic responso fidem adhibet ideo, quòd post hanc Bullam passim similes contractus celebrantur, ut de Lusitania & Belgio, & aliisque Provinciis testantur Molina & Lessius, quare, vel dicendum est (inquit Lugo) hanc fuisse Pontificis mentem, vel certè Bullam non fuisse aliter receptam. Quin imò Cardinalis Toletus, & Cardinalis S. Severina, quibus fuerat commissa cura faciendæ Constitutionis, Stephano Tuacio nostræ Societatis Theologo tulerunt, Sixtum V. de seculi Bullæ interrogatum respondisse, se in ea solum voluisse prohibere iniustos Contractus, & Conventiones solitas Societatibus apponi, quas Classici DD. condemnarent, non autem meas, quas iidem approbant tanquam iustas. ita ad Comitolum testatus litteris est dictus Theologus. Denique exstat descriptio Romana die 3. Junij 1602. in qua Joan. Baptista Cocceius Sacræ Rotæ Decanus concludit, hanc Bullam comprehendere solum casus usurarios de Iure communi, additis majoribus pœnis, atque ita Rotam censuisse, ita habetur in Compendio Bullarum Cherubini Schol. 1. ad Bull. 45. Sixti V. Huic ergo declarationi acquiescamus, nec verba Bullæ scrupulosius timeamus.

Cum

Cum ergo auctoritas Bullæ non obstat, quid ex natura rei dicendum sit, videamus.

611. DICO cum communione sententia, per se loquendo validum & licitum posse fieri contractum, quo saluum capitale reservetur conferenti, ita ut affecuratio spectet ad accipientem, si sequentes conditiones observentur, quas assignat Lugo. Primò, lucrum certum, quod ab accipiente pecuniam solvendum est conferenti, debet esse adeo modestum, ut attentio capitali, & spe lucri majoris quam habet accipiens, appareat, compensari iuste periculum, quod alter socius subit circa securitatem capitalis in se receptam, & certitudo lucri promissi seu solvendi, compensari, inquam, per diminutionem illam lucri multo majoris probabiliter sperati. v. gr. Si speratur lucrum forte 12. pro centenario, & conferens capitale exigit solum 4. cedunt jam socio negotianti octo incerta pro securitate seu affecuratione capitalis, & pro certitudine lucri 4. solvendorum. Secundò requiritur, ut societas non sit facta, nec palliata usura, qualis esset, si quis pecuniam daret alicui, sciens eum non negotiaturum cum illa: nam sic reverà non interveniret spes lucri majoris, sed exigeretur lucrum ex mutuo ultra sortem, ut consideranti patet. Tertio requiritur, ut alter negotietur nò præcisè suo, sed etiam nomine conferentis capitale, alioquin non esset contractus Societatis. His positus

Conclusionem probare nititur post alios Castro Palao tum ex Iure Civili tum ex Iure Canonico. Ex Iure civili citat leg. 29. §. 1. ff. h. t. verum, hic textus ad rem non facit, non enim ponit obligationem affecurationis capitalis in conferente operam, sed solum absolvit talem ab eo, quòd non debeat habere damnatum ex capitali si pereat, quem modum contrahendi nemo improbat, ut ex supra dictis liquet. textus est clarus: [Quod ita demum valebit, si tanti sit opera, quantum damnum est (quod sc. aliter simeere potest) plerumque enim tanta est industria socii, ut plus societati conferat quam pecunia.] & ita notat glossa Gothofredi. Ex Iure Canonico adducit. per vestras. de donat. inter virum & uxorem. ubi cavetur ob inopiam mariti, nec valentis dare sufficientem cautionem de dote conservanda ab eo extrahidarique mercatori, ut ex ejus lucri onera matrimonium sustententur. Quod certè (inquit Palao) fieri non posset, si mercator dotem secutam non redderet, & insuper lucrum promitteret. Verum nec hinc aliquid evincitur, quia mercator non fuit adactus ad affecurandam dotem etiam pro casu fortuito, sed ad summum ad adhibendam diligentem molestem, & ad cavendam culpam, quam bonus paterfamilias cavet in propriis bonis.

Melius ergo probatur argumento negativo, quia nihil in se continet talis contractus, quod labe usuræ sit vitiatum, ut patebit argumento. *Christ. Haun. de Just. Tom. 17.*

rum solutione; & breviter declarat in tribus contractibus, quos supra dixi ex Laymano, includi in hac specie societatis. Nam impræmis contractus iste quæ est contractus societatis præcisè, non transfert dominium capitalis, ut supponitur: ergo non habet rationem mutui. Deinde contractus affecurationis ex se licitus; ergo possit Petrus conferens capitale, alicui alteri assignare certam spem fructuum in debita estimatione, ut alter in se recipere periculum capitalis. Denique sicut jactus reus venditur pro pretio certo, licet captura sit incerta, & in mera spe posita, ita qui confert capitale, & pro magna spe lucri exigit minorem partem certam lucri, vendit illam spem pro certo pretio: ergo etiam vendit quæ in hac specie Societatis includitur, est ex se iusta & licita. ergo ex nullo capite vitiatum.

Confirmatur ex supra dictis præced. contr. ubi vidimus, aliquando totum periculum capitalis esse penes conferentem capitale, aliquando verò dimidiatam partem periculi spectare ad eum qui operam confert, dummodo illi aliunde plus de lucro adjudicetur & in pactum deducatur, quò illud periculum compensetur: ergo potest lucri concessio eo usque excrefcere, ut æquivaleret toti affecurationi.

612. Obijciunt 1. Si dominium totum capitalis transfertur in alterum qui confert operam, tollitur conceptus societatis: atqui transfertur in tali contractu (de quo disputamus) totum dominium. ergo.

Minor probatur: quia accipiens potest de capitali pro libitu disponere, & si ad alios usus impenderet, quàm ad negotiationem, dummodo refunderet capitale, & lucrum promissum, nullam faceret injuriam, quia totum id præstaret, ad quod obligatur. ergo nihil desit illi, quominus sit pecuniarum dominus. 2. Negando minorem, & probationem. Reverà enim obligatur ad negotiandum, vel melius, ad non auferendam sibi facultatem negotiandi cum tali pecunia, adeoque ad eam non expendendam ad alios usus, nisi substituat aliam, cujus confers fiat dominus, quamque nomine illius possideat. Itaque quamdiu pecunia non expenditur, omnes effectus dominii conveniunt conferenti, nempe Rei vindictio, & prælatio respectu aliorum creditorum, & quidem non solum quoad capitale, sed etiam quoad fructus, quia res domino suo fructificat.

Ex eo autem quòd negotiator posset substituire aliam pecuniam, item quòd satisfaceret conferenti, si omnia negotiatione refundere capitale & lucrum constituit, inepè inferitur, quòd antecederet ad pecuniam alienationem sic pecunie dominus: alioquin enim navclerus fireret dominus mercium, quas accipit à mercatore transferendas & vendendas cum contractu affecurationis, quòd absurdè diceretur. Itaque alter

obli-

obligatur vigore in ita Societatis negotiari, & non dissolvere societatem altero invito. atqui si aliter pecuniam impenderet, & negotiationem omitteret, dissolveretur Societas. Porro, quia societas non subsisteret, sed evaderet mutuum usurarium, si dominium transferretur, jam habet conferens capitale iustam causam retinendi dominium pecuniae, & ut sit iniurius ne alter pecuniam aliter expendat, ob effectus recensitos. Sicut ergo pateretur quis injuriam a fure, etiam si haberet Metaphysicam certitudinem, quod esset deinde per viam juris pecuniam furtivam recepturus, ita etiam in casu nostro, qui contulit pecuniam retento dominio in hunc finem, ut serviat pecunia ad contractum societatis, patitur injuriam, si aliter expendatur, & societas dissolvatur ex invito, etiam si metaphysice certus esset, quod alter esset omnia refutatus; nam haec scientia habet se per accidens: sic Deus pateretur injuriam, si quis calicem illi faceratum & dicitur auferret, etiam si fur eum esset restitutus, & Deus hoc praevideret futurum. Hoc enim est de conceptu dominii, ut nemo alius possit se invito rem suam attrahere & destruere, quia dominus non est (ut suppono) aliunde obligatus consentire in talem destructionem. ergo vi dominii potest alium obligare ad suum libitum & placitum, ne rem suam visumque impediendo illum finem, ad quem dominus rem suam ordinat.

Obijciunt 2. Hac ratione aperitur facilis modus ad quamvis vitam palliandam. Quoties enim alius a me mutuum petet, dicam illi. Nolo dare mutuum, sed dabo 1000. ad societatem, cum pacto de assurance sortis & lucri moderati, donec sortem restituas. Hoc argumentum retorquet Lugo, ostendendo illud omnibus solvendum esse, qui admittunt ex natura rei posse emi censum redimibilem in favorem emptoris ad libitum emptoris, dummodo adsit serius animus vendendi & emendi. Quidquid sit de hac retorsione, atrecte respondeo, sicut ex periculo abutendi vino, negotiatione, &c. non licet inferre: ex natura rei esse illicitum usum vini & negotiationis, &c. ita ex periculo abutendi societate, non inferri, esse ex natura rei illicitum talem contractum. Ratio est, quia in abusu non servarentur conditiones supra requisitae, nempe non adesse animus serius intendens capere lucrum ex negotiatione lucrosa ab altero socio praestanda, nec talis traditio capitalis fundaretur in spe lucri majoris; ac denique quia vellet transferre dominium pecuniae, & sic destrueret essentiam societatis. Hinc

613. In foro, ad justificandum hunc contractum, debere in conferente capitale adesse persuasionem, quod alter esset negotiaturus, & spem, quod esset lucraturus, alioquin non posset habere sincerum animum contrahendi societatem, & vendendi spem (quam non habet) pro modico

lucro. unde sicut, si piscatores certo scirent, nullos adesse pisces, & ideo se nihil capturos, non possent vendere spem capturae, ita si dans pecuniam certo sciret privatam notitiam, alterum non habere animum negotiandi, nec fore ullam occasionem negotiandi, non posset serio contrahere societatem, & ex ea lucrum sperare.

614. Quaes. 1. An tres illi contractus, quos dixi includi in hoc contractu societatis, debeant fieri successivè. Affirmat Cajetanus. Sed alii omnes negant hoc requiri, quia similitudo non inducit inaequalitatem, si eam non inducit successio. Imo non est necesse ut contractus fiat independens a contractu assurance, ita ut etiam si alter nollet iniire contractum assurance, teneret absolute contractus societatis. Hoc, inquam, non est necesse, quia est liberum utriusque contrahere eo modo quo libuerit, sicut venditio potest fieri cum allegatione ad revenditionem. Ita Molina, Lessius, Lugo, alii.

615. Quaes. 2. An saltem debeant illi contractus expresse celebrari & distinctè. Respondent iidem DD. negative, sed sufficere, si quis velit dando pecuniam cum pacto lucri celebrare contractus illos implicite, nempe eo modo, quo alii timorati solent, & quo modo celebrari posse tradunt Theologi. Quamvis, ut monet Lugo, expedit, ut illi contractus magis expresse & distinctè fiant, dicendo: Do tibi hoc capitale ad societatem & lucrum, & ut nomine utriusque nostrum capitalis cedo; & alterius pro assurance capitalis cedo tibi excessum lucri sperati, & pro moderato lucro, &c.

616. Quaes. 3. An possit iniiri societas hoc pacto, ut conferens operam obligetur ad dimidium damni capitalis, casu quo perat; quod si verò salvum maneat, detur eidem quarta solidum vel quinta pars capitalis in divisione. Negat Azor, sed immerito, sicut etiam Filliucius immerito requirit ad iustitiam huius contractus, quod aliqua saltem pars capitalis debeat pro conferente operam salva manere. Cum enim Filliucius admittat, posse non solum dimidium, sed etiam totum damnus capitalis ad conferentem operam pertinere, modo superius dicto; potest multo magis solum dimidium capitalis pertinentis ad ipsum pertinere, etiam si nihil ex capitali ipsi dampnum sit, dummodo hoc omnis compensetur diminutione proportionata lucri reddendi. & ita sentit Lugo, n. 50.

617. Quaes. 4. An possit conferens capitale exigere ab altero pignus pro assurance capitalis. Respondent DD. communiter affirmativè, & quidem non est dubium, quod hoc possit exigi, ut si culpa alterius vel periret, vel non fructificaret, sic haberetur securitas capitalis. Ceterum, Lugo hoc etiam extendit consequenter ad casum fortuitum. Semper enim pignoris exactio licita est, si pactum secun-

dam se sit licitam, dummodo fructus pignoris, (si quidem sit fructiferum) in partem debiti computentur. Ergo quando licite sit contractus assurance, etiam pro casu fortuito, poterit pignus intervenire.

CONTROVERSIA VIII.

Quam culpam praestare teneatur Socius.

SUMMARIUM.

Refertur textus §. 9. Inst. de Societ. & ejus intellectus. 618. An sufficiat, a Socio praestari culpam levem. 619. Intellectus legis §. 11. Depositi. 619. Intellectus legis §. 16. ff. fam. Erisc. 820.

618. **D**e hoc extat §. 9. Inst. h. t. [Socius Socio utrum eo nomine tantum teneatur pro socio actione, si quid dolo commiserit, sicut is qui deponi apud se passus est, an etiam culpa, id est desidiosa atque negligentia nomine, quaesitum est. Praevaluit tamen etiam culpa nomine teneri eum. Culpa autem non ad exactissimam diligentiam dirigenda est. Sufficit enim talem diligentiam communibus rebus adhibere socium, qualem suis rebus adhibere solet. Nam qui parum diligentem socium sibi assumit, de se quaeri, sibi quae imputare debet.]

Ex quo textu videri potest inferendum, quod non possit assignari determinatum genus culpae, latae, levis, aut levissimae, ad quam praestanda teneatur socius, sed hoc pendere ex eo, qualem diligentiam solet adhibere circa res proprias administrandas. Si enim solet esse diligentissimus, videtur se obligare ad cavendam etiam levissimam culpam, utpote quam circa res proprias cavet, & juxta textum obligatur ad illam diligentiam, quam adhibet propriis rebus. Si vero circa res proprias versari solet cum minore diligentia, cavendo solum levem culpam, ad hanc solum praestanda tenebitur. Si circa res proprias solet esse adeo incurius, ut solum latam culpam cavere solet, ad hanc solum cavendam tenebitur. Denique si circa res proprias ne quidem latam culpam cavere solet, de solo dolo tenebitur. Verum

619. **D**ICENDUM est cum communi omnium Interpretum, nec sufficere si caveat culpam latam, nec requiri ut caveat levissimam culpam, sed requiri & sufficere, si caveat & praestet culpam levem. Neque refragari voluit Imperator in adducto textu: supponebat enim, neminem tam stultum esse, qui assumat socium, quem scit circa res proprias nec levem quidem culpam cavere solet, & de quo vis praesumi, quod

soleat communem diligentiam adhibere, nisi de contrario constet. Quando autem dicit Imperator, quod sibi imputare debeat socius, si parum diligentem socium admisit, loquitur de eo, qui non solet adhibere exactissimam diligentiam.

Itaque in hoc contractu, qui utilitatem utriusque contrahentis spectat, locum habet regula generalis, quod culpa levis praestanda sit, ut in contractu emptionis, locationis, dotis, pignoris. Ceterum, sicut alibi in similibus dicitur, si in pactum aliud deductum esset, illud esset observandum, nempe si in pactum deductum esset, ut etiam culpa evissima praestaretur. Sed tunc ut aequalitas servaretur, hoc obus esset alium de v. g. ex assignatione majoris lucri, compensandum. Contra si pactum esset, ut nec culpa lata praestaretur (modo dolo absente) pariter servandum esset, quae omnia habentur lege 23. ff. de R. I. alibi relata, ubi addiunt. [Sed haec ita, nisi si quid nominatim convenit, vel plus vel minus in singulis contractibus: nam hoc servabitur, quod initio convenit, legem enim contractus dedit: excepto eo quod Cellus putat non valere, si contingerit, ne dolo praestetur. hoc enim bonae fidei iudicio contrarium est.]

Obijci potest 1. ad probandum quod socius non teneatur praestare nisi culpam latam. Nam non videtur teneri ad majorem diligentiam, quam ad illam, ad quam tenetur depositarius: atqui depositarius non tenetur nisi de culpa lata: ergo nec socius. Majorem propositionem aliqui probare nituntur ex lege 31. ff. de depositi. ubi Cellus responderet, quod si quis in deposito non ad suum modum curam praestet, fraude non careat, quia salva fide non minorem iis, quam suis rebus diligentiam praestare debet. atqui etiam socius ad plus non obligatur, quam ad illam diligentiam, quam in suis rebus adhibet: ergo ex hoc dicendum erit, quod non obligetur ad majorem diligentiam, quam ad illam, ad quam obligatur depositarius.

2. Si legis adductae verba diligentius ponderentur, solutionem ipsa indicat, dum Iureconsultus acurè distinguit inter diligentiam quam communiter solent homines adhibere suis rebus, & illam quam quivis in particulari consideratus solet suis rebus adhibere. Illa prior diligentia cavet culpam non tantum latam, sed etiam levem, posterior diligentia saepe solum se extendit ad cavendam culpam latam. Priorem diligentiam satis aptè vocat Vvumserus diligentiam consideratam in homine in abstracto, & posteriorem consideratam in homine in concreto. Quando ergo iura supra adducta requirunt in socio diligentiam quam quis solet adhibere in rebus propriis, illud: Quis: habet sensum abstractam, quasi diceretur: [Quam quivis, si quidem operetur, ut alii communiter solent, & ut debet quivis operari, si congruè velit operari, adhibere

hibere solet.] Quando verò lex objecta 32. de depositario loquitur, requirit solum diligentiam illam quæ excludit culpam laram, & quæ si abesse in homine, diceretur talis simpliciter negligentissimus, & nullam curam suarum rerum habens. Lex ita habet. [Quod Nerva diceret, latiore cu ipam dolum esse, Proculo displicebat, mihi (inquit Celsus) verissimum videtur: & si quis non ad eum modum quem NB. hominum natura desiderat (ecce? diligentiam communiter adhiberi solitam, & in abstracto consideratam) diligens est, nisi tamen ad suum modum curam in deposito præstat, (ecce? diligentiam consideratam in concreto) fraude non caret: nec enim salvâ fide minore ius, quam suis rebus diligentiam præstabit.] Quasi diceret: esto quis depositarius non adhibeat illam diligentiam, quam natura hominum postulat, & quæ levem culpam cavet, si tamen adhibet illam, quam ipse in suis rebus & suo particulari modo administrandi adhibet, fraude ipsam caret, si autem nec hanc adhibet, fraude non caret. Scio aliter respondere Hunnium, & ex eo Harpprecht, sed quia non assequor, quomodo ad concilianda jura eorum responsio applicari possit, eam non moror.

620. Obijci solet 2. argumentum à contrario sensu deductum ex lege 25. §. 16. ff. fam. ercise. ubi coheres ideo debet præstare culpam levem, quia alteri coheredi non consensu, sed re conjungitur, & ideo non est in ipsius potestate eligere diligentior: atque socii, de quibus in præfenti disputamus, non re sed consensu, nempe conventionem & contractum conjunguntur. ergo non debet præstare nisi culpam laram, nam sibi impure socius, quod diligentior non elegerit. [Non tantum dolum (inquit Paulus) sed & culpam (intelligit levem) in re hæreditaria præstare debet coheres, quoniam NB. cum coheredo non contrahimus, sed incidimus in eum, non tamen diligentiam præstare debet, qualem diligens familias (id est exaltam) quoniam hic propter suam partem causam habuit gerendi, & ideo negotiorum gestorum actio non competit: talem igitur diligentiam præstare debet, qualem in suis rebus.]

Jacobus Cujacius & Petrus Faber exultant, in hac lege contineri illam antiquorum Iuriconsultorum dissolutionem, cujus meminit Imperator in Inst. textu relato statim à principio hujus controverse, adeoque putant Paulum I.C. fuisse ex illis, qui putabant, socium socio per contractum factum non teneri nisi de culpa lata: quorum tamen sententiam improbat Iustinianus, atque oppositam obinuisse. Putant ergo, has Iuriconsultorum dissolutiones negligentia Compilatorum sæpius in Pandectis relictas esse.

Hanc tamen responsionem alii non recipiunt, ne antilogias inter leges admittere cogantur, quod grande piaculum existimant, aliis sine

scrupulo admittentibus. Verum, in præfenti puncto non est necesse huc recurrere, sed commode responderi potest cum Hunnio, VVurfio, Harpprecht, & aliis, argumentum objectionis deductum esse à cessante ratione legis, hoc est, inferri, quod coheres teneatur de culpa levi, quia non eligitur, sed re conjungitur: quæ ratio licet deficiat in aliis sociis, hinc tamen non licet statim inferre: ergo non teneatur de culpa levi: nam licet ex hac ratione non teneatur, est tamen alia ratio, illi rationi æquivalens si non præponderans, nempe quod societas utriusque utilitatem spectet: quæ ratio etiam sufficeret, ut coheres coheredi teneatur de culpa levi, etiam si consensu illi conjungeretur, & non re. Et sanè coheres non ita re conjungitur alteri, ut non aliquo modo etiam consensu conjungatur, quia liberum illi est, esse vel non esse heredem: ergo etiam aliquo modo eligi coheredem, et si non re sensu, quasi postea alium coheredem eligere, sicut socius potest alium socium eligere. Principalis ergo ratio est, quod utriusque utilitas in tali sociorum conjunctione versetur. Quæ omnia consentiunt legi 1. §. 2. ff. commodati. [Et quidè in contractibus interdum dolum solum, interdum & culpam præstamus, dolum in deposito, nam NB. quia nulla utilitas (ecce? rationem principalem) ejus versatur, apud quem deponitur, merito dolum præstatur solum, nisi forte & merces accessit: tunc enim (ut est & constitutum) etiam culpa exhibetur, aut si hoc ab initio convenit, ut culpam & periculum præstet ipse quem deponitur. Sed ubi NB. utriusque utilitas versatur, ut in empto, ut in locato, ut in dote, ut in pignore, ut in Societate, & dolum & culpa præstatur.] In qua lege per dolum etiam culpa lata, quæ plerumque dolo comparatur, intelligitur, & (sicut etiam in aliis legibus supra relatis) per culpam simpliciter prolatam culpa levis, hoc est, quæ communi diligentia opponitur, intelligitur.



CON-

CONTROVERSIA IX.

Vtrum Socio conveniat Beneficium Competentie.

SUMMARIUM.

Competit Socio Beneficium competentie. 621.

Quod tempus expectandum, ut conflet, quantum facere possit. 622.

An hoc beneficium competat fidejussori pro socio. eod.

An competat heredi socii, & illi casus mandato alter contraxit. 623.

An deducendum sit prius æs alienum, ut æstimentur vires socii eod.

An beneficium amittat qui dolo desit esse solvendo. eod.

An socius utens hoc beneficium, debeat præstare cautionem. 624.

Si ex pluribus unus solus non est consecutus totum debitum, an possit à reliquis proportionale supplementum exigere. eod.

621. DICENDUM est, Socio convenire beneficium competentie, quod est speciale privilegium hujus contractus, & de quo privilegio in genere actum est tract. 2. Itaque Socius conventus à socio actione pro Socio, si ob pauperatem non est solvendo, solum tenetur, quantum potest commodè, salvo suo statu & conditione, juxta juris regulam 173. [In condemnatione personarum quæ in id quod facere possunt, damnantur, non totum quod habent, extorquendum est, sed & ipsarum ratio est habenda, ne egeant.] Quod autem hoc privilegium competat socio, habetur in lege 63. pr. & seqq. §. ff. h. t. ubi etiam ratio assignatur. [Verum est, quod Sabino videtur, etiam si non universorum bonorum socii sint, sed unius rei, attamen in id quod facere possunt, quod vé dolo mislo fecerint, quominus possint, condemnari oportere. hoc enim summam rationem habet: cum societas jus quodammodo fraternitatis in se habeat.]

622. Dubitatum est 1. Quod tempus esset spectandum, ut sciretur, quantum facere possit socius. ad hoc respondet Vlpianus §. 6. Tempus autem præstamus, quantum facere socius possit, rei judicanda.

Dubitatum est 2. An hoc beneficium etiam concedatur fidejussori socii. Distinguitur inter fidejussorem propriè dictum, & eum qui sine mandato cū satisfactione pro socio in judicio postulat eumque, tunc, vocaturque Defensor §. [Videndum est, an & fidejussori socii id præstari debeat, an vero personale beneficium sit, quod magis verum est. Sed si hic fidejussor quasi defen-

sor socii judicium susceperit, proderit sibi: namque Iulianus scripsit defensorem socii in id quod socius facere potest, condemnari oportere. Idemque & in patroni defensore accipere debere ait. Et utique idem erit in universis, qui in id quod facere possunt, conveniunt.] Ceterum, Baldus ad hanc legem notat, quod fidejussor habeat remedium, nempe quod debet denuntiare hoc principali, & principalis veniet, & sufficiet defensione fidejussoris, & opponet exceptionem prædictam ex persona ipsius principalis, licet fidejussor non possit: & hoc ideo, quia fidejussor habet regressum contra principalem, & principalis non gaudet hoc beneficio contra fidejussorem: ergo potest socius opponere suum beneficium, quod alioquin redderetur inutile, quia statim possit à fidejussore conveniri ultra id quod potest. Hoc ipsam advertit Bartolus in D. l.

623. Dubitatum est 3. An hoc beneficium competat heredi socii, item illi qui mandavit, ut societatem alter contraheret. & Negative §. 2. [Patrem autem vel dominum socii, si iustorum societas contracta sit, non esse hanc exceptionem dandam, quia nec heredi socii, ceterisque successoribus hoc præstabitur: quia nec ceterorum hæredibus successoribusque, quos in id quod facere possunt, convenimus, idem præstatur.] Ratio est, quia de hujus generis non reliquitur plus hæredibus, quam quæ fuerint repetita deducto universum toto ære alieno defuncti.

Dubitatum est 4. An deducendum sit prius æs alienum, ut æstimentur vires socii. & æs alienum ex ipsa societate debitum aliis, esse deducendum, non verò quod aliunde debitum §. 3. [Id quod facere socius potest, quemadmodum æstimandum sit, & placuit, non debere deduci æs alienum, quod debetur à socio, nisi forte ex ipsa societate debeat.] Ratio est, quia soli donatori ob exercitam liberalitatem conceditur, ut conventus à donatore, deducto toto ære alieno, adhuc insuper gaudeat beneficio hoc: ut habetur l. 49. §. 1. [Is quoque qui ex causa donationis conventus, in quantum facere potest condemnatur, & quidem is solus deducto ære alieno.]

Dubitatum est 5. An hoc beneficium amittat, qui dolo desit esse solvendo. & Affirmative §. ob textum relatum pr. hujus legis, tum §. 7. [Hoc quoque facere quis posse videtur, quod dolo fecit, quominus possit: nec enim æquum est, dolum (cum quemquam relevare. Si tamen non dolo, sed culpa (intelligit levi) sua facere possit desit, dicendum est, condemnari eum non debere.]

624. Dubitatum est 6. An Socius utens hoc beneficium, debeat præstare cautionem de integre satisfaciendo, si ad pinguiorem fortunam perven-

pervenit. *7.* Non aliam, quam nudam promissionem. *8.* 4. [Item videndum, an cautio veniat in Iudicium ejus quod facere Socius non possit, scilicet nuda promissio, quod magis dicendum arbitror.]

Dubitatum est *7.* Si plures fuerint Socii, & unus solus non est consecutus totum debitum, an possit à reliquis proportionale supplementum exigere. *8.* Affirmativè. *9.* *1.* [Si cum tres socii essent, egerit cum uno ex sociis socius, & partem suam integram sit consecutus, deinde alius socius cum eodem agat, & partem consequi integram non poterit, quia facere solidum non potest, an hic qui minus consecutus est, cum eo agere possit, qui solidum accepit, ad communicandas partes inter eos, id est exquandas: quasi iniquum sit, ex eadem Societate alium plus, alium minus consequi: sed magis est, ut pro socio actione consequi possit, ut utriusque portio exequatur, quæ sententia habet æquitatem.]

CONTROVERSIA X.

De Expensis, & damnis extrahendis, vel refundendis.

SUMMARIUM.

AD quas expensas concurrant omnes Socii de Iure communi. *625.*
An extrahendum sit, quod Socius domi consumpsisset, eod.
Quæ in itinere consumpsit, an Socius extrahere possit, & quæ. 626.
An, & ea que sine culpa de suis amisit. eod.
An aliquando Socius teneatur ad expensas ex proprio faciendas, & postea in divisione extrahendas. 627.
An extrahere possit illa damna, quæ incurrit occasione administrationis, sed non formaliter vi administrationis. 628.

QUÆRITUR *1.* Ad quas expensas debeant omnes Socii concurrere de Iure communi, & si nihil in specie conventum est. *625.* **DICENDUM 1.** Ad eas expensas omnes concurrere debere, quæ sunt circa mercem ipsam in quibus Societas constituta est, & circa ipsam personam ac famulos ipsius negotiatoris, v. g. conductio tabernæ, navis, coemptio doliolum, vectura, refectio, &c. hæc inquam expensæ faciendæ sunt de bonis Societatis, & primo loco extrahendæ, ipsæ deductis extrahendum capitale, & quod reliquum fuerit, erit lucrum dividendum. *l. 52. §. 15. ff. h. t.* [Si quis ex Sociis propter Societatem profectus sit, veluti ad mercem emendas, eos duntaxat sumptus Societati imputabit, qui in eam pensati sunt. Viatica itaque & meritoriorum, & stabulorum, jumentorum,

carrollorum vecturas, vel sui, vel sarcinarum suarum gratia, vel mercium rectè imputabit.]

DUBITATUR tamen, an extrahendum sit illud, quod domi consumpsisset, si non fuisset ad negotiandum profectus. Affirmant aliqui post Baldum. Sed negant Salycetus, Navarrus, & quidam alii, quos sequitur Molina, quia Iura nullam faciunt limitationem: sicut contra si domi negotiatus, non solvuntur illi ex communi expensa, quas facit in victu, &c. quia Iura solum loquuntur, quando proficitur ad locum peregrinum ad negotiandum. Lugo distinguit inter illum, qui ex contractu tenetur ad operas, & inter illum, qui non tenetur ex contractu, & de priori negat, de posteriori concedit. Cujus Ratio est, quia ille prior aliquo lucrum caperet ex Societate, & ditor fieret in eo, quod domi expendere debuisset, & sic pretium acciperet de novo pro opera & labore suo, quem tamen ex vi contractus conferre debebat, & cui cætero quin pars lucri communis postea responderet. & hoc mihi verius videtur. In his autem consuetudo maxime attendenda est, quæ in quibusdam locis habet, ut in singulos dies aliquid certi deputetur: quare si Socius aliquibus comparceret, posset illud sibi retinere, sicut dicitur de Beneficiariis, quod si ex congrua sustentatione aliquid comparcant, illud accedat bonis patrimonialibus.

626. **DICENDUM 2.** Quidquid in itinere ad negotiandum instituto in Medicos, & pharmaca (non item in convivia cum amicis, nisi & hoc ad negotia perficienda necessaria, ut utile esset) ratione sumpta valentudinis expensum est, illud quoque extrahendi habet potestatem. *l. 61. ff. h. t.* Secundum Julianam tamen, & quod Medicis pro se datum est, recipere potest, quod verum est. Quæ verba cum sint generalia, meritò infert Lugo contra Mol. idem dicendum de morbo domi, sed ex causa Societatis contracto.

DICENDUM *3.* Si à latronibus spoliatur, naufragium faciat, & amittat aliqua sua propria, quæ ad negotiationem perficiendam secum tulerat, ea quoque extrahenda sunt, sicut & lytrum quod solvendum erit, si capiat, nisi hæc ipsius culpa levi eveniant. ita *leg. 52. §. 4. ff. h. t.* [Quidam sagarum negotiationem coevertunt, alter ex his ad mercem comparandas profectus, in latrones incidit, suamque pecuniam perdidit, servi ejus vulnerati sunt, resque proprias perdidit. Julianus dicit damnum esse commune, ideoque actione pro socio damni dimidium agnoscere debere, tam pecuniam, quam rerum cæterarum, quas secum non tulisset socius, nisi ad mercem communi nomine comparandas proficisceretur: sed & si quid in Medicos impensum est, pro parte socium agnoscere debere, rectissime Julianus probat: deinde & si quid naufragio perit, cum non aliis merces, quam navi solerent adve-

hi,

hi, damnum ambo sentient, nam sicut lucrum, ita damnum quoque commune esse oportet, quod NB. non culpa socii contigit.]

627. **DUBITATUR:** Si ad conservandas merces, ne pereant, sive per intrinsecum vitium, sive ab extrinseco, adeoque ad commune damnum evitandum necesse esset expendere aliquid, socius autem non habeat pecunias communes, quas possit expendere, habeat tamen proprias, quas possit quasi iniquas dare Societati, & sic indemnem servare, si id non faciat, & merces pereant, quaeritur, inquam, an hoc damnum adhuc sit commune, vel potius ipse solus sustinere debeat. Brevis, an ad tales expensas interim ex proprio faciendas (sed postea extrahendas) teneatur ex iustitia. Negantur aliqui, arbitantes, teneri solum ex charitate. Respondendum tamen est, &

DICENDUM 4. Ad tales expensas interim ministrandas, si habet, teneri ex iustitia, adeoque si negligat, ad ipsum solum damnum pertinere. Ita Molina, Lessius, Lugo. Probat. Socius vigore contractus habet obligationem ad omnia damna cavenda, quæ si non cavet, culpa levis reus est, ut præced. controv. dictum est: atqui reus est culpa levis, si non cavet damnum succurrendo ex propria pecunia, quia paterfamilias quisvis communiter solet hoc modo operari, & si non operetur, negligens esse iudicatur, & vix ac ne vix quidem à culpa lata exquabitur, si ad cavenda gravia suorum bonorum damna non acciperet mutuum, si possit commoda habere: ergo socius teneatur à se ipso cæterorum nomine mutuum accipere, & hoc ex iustitia. Ergo negligendo committit culpam, ad quam vi contractus præstandam obligatur.

Quodsi ergo socius hoc modo ex propriis damno occurrat, illud quod expendit, extrahit, quod si non esset unde extraheretur, si v. g. omnia perissent, adhuc haberet actionem negotiorum gestorum, ut patebit ex dicendis de Contractu Mandati, & Quasi Contractu negotiorum gestorum.

628. Dubitari ulterius potest, an socius extrahere possit illa damna, quæ incurrit occasione administrationis, sed non formaliter, quia administravit, & res Societatis egit.

DICENDUM est 5. & respondendum negativè, in exemplo. Habuit aliquem inimicum, qui ipsum in itinere offendit, & cum eo rixatur, ac vulnerat ex odio præcedente, vel quia in hospitio aut itinere per accidens ad iram commotus est, cui socius nullam causam præbuit. Probatur imprimis ex opposito. Si occasione talis initeris incideret in amicum, qui ipsi ex veteri amicitia magnam summam donaret, non donaturus, nisi in via offenderet: item si esset Cavendicus, & in via consultus ab aliquo daret consilium lucrosius, aut si esset Medicus, incidere in agnum cui præscribendo medicinam magnum

Christi. Hann. de Inst. Tom. IV.

acciperet honorarium, omnia hæc illi soli cedent; ergo e contrario & damna taliter incurta solus sustinebit. Probari solet ratione. Quia Societas non est causa horum damnorum, sed mera occasio. Ita Lugo *l. 31.* Sed hæc ratio videtur esse nimis jejuna. nam etiam dicam, quod quando spoliatur à Latronibus, vel patitur naufragium, vel contahit morbum ex aliquo cibo noxio sine culpa, dicam, inquam, quod Societas sit tantum occasio, & non causa: nam sicut per accidens est, quod incurrat in inimicum, ita per accidens est, quod incurrat in latrones, & in tempore.

Ratio ergo fundamentalis est, quod socii cæteri non tenentur in quæcunque damna forte incurrenda, & compendanda consentire, sed solum in illa, quorum periculum non ratio imminere solet hujusmodi negotiatoribus, & quæ antecederent absque ulla imprudentia possunt timeri, & cum veritate dici possit, quod communiter negotiatores se talibus periculis exponant, sicut qui navigat, se exponere dicitur periculo naufragii, non item periculo rixarum, quia naufragium habet ex natura rei majorem affinitatem cum navigatione, quam rixæ, & eodem modo negotiatores non dicuntur esse imprudenter timidi, quando timent latrones: & tamen si communiter timerent occurrentes inimicos, ab omnibus censentur imprudenter timere, si prius nullum fundamentum particulare habuissent. Hanc rationem & disparitatem paucis verbis indicavit P. Molina dicens: [Neque enim se exponere dicitur hujusmodi periculis propter Societatem, sicut se exponere dicitur periculo Latronum, & captivitatis ab hostibus Republicæ.]

CONTROVERSIA XI.

An Socius obligatus ad operas uni Societati, possit cum aliis aliam inire, quæ etiam ejus operam possulet.

SUMMARIUM.

AN liceat Socio multiplicare Societatem secluso pacto contrario. *629.*
Si contra pactum veniens in penam condemnetur, an solvere teneatur. 630.
Si damnum per alteram Societatem illatum est priori, ad quid teneatur. 631.

Etrum est, quod Socius possit ex pacto obligari, si sic expedit, ad non communicandas operas alteri Societati, quod quidem pactum prudenter seipsum intur, ut sic omnis cura & industria vitæque uni Societati impendantur. Quæstio præcens procedit, seclusa tali pacto.

Cc

629. DI-


629. **DICENDUM** 1. Si sine praejudicio prioris Societatis potest satisfieri etiam alteri Societati, licet Societatem multiplicare. Declaratur à pari, & ex communi sensu hominum in simili. Famulus ab uno Domino conductus ad certa servitia praestanda, si iuxta illa potest aliis laboribus aliquid lucrari, nihil agit contra obligationem Domino debitam: sic videmus milites praedictarios etiam dum vigiliis occupantur, eodem tempore manualia exercere ad lucrandum, quibus nihil impediuntur ab illis, quae tanquam à milite exiguntur. Ergo si, ut supponitur, opera uno Societati praestanda adiungit aliam operam, quae possit alteri satisfieri, nihil fiet contra obligationem priori Societati debitam.

Dices: in prima Societate venit in aestimationem hoc ipsum, quod socius se nolit aliis impendere: & inuiti hujus oneris consequitur proportionalem partem lucri. Ergo si velit deinde se alteri Societati impendere, debet aliquid de constituta parte lucri remittere. Respondetur negando antecedens. Nam si hoc non fuit specialiter expressum, ex nullo fundamento deduci potest, quod subintelligatur: cur enim subintelligeretur, si sociorum nihil interest, socium potius otiosi, quam plus negotiari, atque exigat eorum Societas: hoc sane in vidia labe non careret.

Alia jam questio nascitur. Si in pactum deductum est, ne aliam Societatem iniret, & pactum hoc violatur, ad quid teneatur?

630. **DICENDUM** 2. Si revera ex Societate cum aliis inita, defacto nullum damnū prioribus sociis illatum est, si in iudicio conventus ob fidem non servatam in aliquam partem condemnatur, eam solvere tenebitur: item refundere debet illum lucrum excessum, quem inuiti hujus obligationis consecutus est. Ex lucro tamen in alia Societate questio nihil conferre tenetur. Non habet Conclusio opus alia probatione, sed ex generalibus principiis deducitur.

631. **DICENDUM** 3. Sive fuerit sive non fuerit in pactum deductum, ne alia Societas iniretur, si tamen inita est cum damno prioris Societatis, tenetur hoc damnū resarcire, sicut etiam lucrum cessans. Ratio est, quia vi Contractus tenetur ad hujusmodi damna positiva, & negativa cavenda; ergo sicut ad ea compensanda teneretur, si aliis modis esset in causa hujusmodi damnorum, v.g. absumendo pecuniam in conviviis, otioso, &c. ita etiam tenebitur, aliis negotiis se nimium impendendo, & priorem societatem negligendo; sicut in famulo conducto, & negligente nascitur obligatio resarciendi damnū inde factum.



CONTROVERSIA XII.

An unus Socius possit obligare tam Personam, quam bona alterius Socii, & quid possit unus sine altero in rebus communibus.

SUMMARIUM.

Quandam omnes obligentur ex mutuo quod unus accepit. 632.

An sicut Persona, ita & bona Sociorum possint obligari. eod.

An Infititoris contractibus omnes Socii obligentur. 633.

Infitore ab uno solo suo nomine constituto, an sicut lucrum, ita & damnū sit commune. eod.

Quid sit communi nomine constitutus est, an damnū sit commune. 634.

Quomodo unus socius possit rebus communibus uti. eod.

An Ius individuum possit ab uno sine aliis exerceri. 635.

632. **DICENDUM** 1. Si socius accipiat pecuniam mutuum, alii socii tunc obligantur, quando illa pecunia in communem Societatis usum versa est, secus non obligantur. l. 82. ff. h. t. *Iure Societatis per Socium are alieno socius non obligatur, nisi in communem arcam pecunia versa sunt.* Neque obstat l. 29. quae videtur generaliter loqui, sed est intelligenda secundum Conclusionem, dum ait: *Omne es alienum, quod manente Societate contractum est, de communi solvendum est.* Nam, ut ex sequentibus verbis apparet, & bene notavit Ant. Faber lib. 4. C. h. t. def. 1. Paulus IC. ita scripsit ad includendum etiam illud res alienum, quod unus ex sociis pendente conditione contraxerit, scilicet ex causa societatis, non etiam illud, quod unus ex sociis pro suo negotio extra causam societatis contraxerit, prout ipse Paulus in l. 12. scribit. *Sed nec es alienum, nisi quod ex quaestione pendebit, venit in rationem Societatis.*

Ceterum, Conclusio est intelligenda de Societate, quae non sit universalis, seu omnium bonorum, ut manifestè colligere est ex lege 67. §. 1. ff. eod. [Si unus ex sociis, qui non NB. totorum bonorum socii erant, communem pecuniam seneraverit, usurasque percepit; ita deum usuras partiri debet, si Societatis nomine senerat: v. t. nam si suo nomine, quoniam NB. fortis periculum ad eum pertinuerit, usuras ipsum retinere oportet.]

Ex posita conclusione inferit VVurmserus contr. 8. cum aliis se citatis, posse etiam bona sociorum obligari eo modo, & in ijs casibus, quibus persona obligatur. Ratio est, quia actio hypothecaria est accessoria obligationis personalis, ut superius dictum est, & suo loco dicitur. Ergo si socius potest obligare personam socii, quod est principale, erit etiam potestas obligandi bona illius. Quam tamen consequentiam non existimo legitimam, quia licet actio hypothecaria sit accessoria hoc sensu, quod supponat obligationem personalem, quia tamen habet specialem utilitatem, & inserti novum gravamen, possit sanè socius consentire in obligationem personalem, & non consentire in obligationem rerum suarum.

Contr. XIII. Quae Actiones competant.

633. **DICENDUM** 2. Quando communi sociorum consensu unus ex illis tanquam Institor negotiorum praepositus est, ut eam solas exerceret & administraret, hujus contractibus omnes & singuli socii in solidum obligantur. l. 4. §. 1. ff. de Exercit. act. *Sed si plures exercent, unus autem de numero suo Magistrum fecerit, hujus nomine in solidum potest conveniri.* Hoc ipsum procedit etiam, quando socii ex omni consensu promittunt negotiari, cuius rei ratio redditur in l. 2. eod. *Ne in plures adversarios stringatur, qui cum uno contraxerit.* Ceterum, alii socii qui non gesserunt, seu inmediate contraxerunt, conveniri non possunt, nisi prius eo qui immediate contraxit, excusato, quod colligitur DD. ex l. 67. §. 14. h. t. ubi dicitur: [Si communis pecunia penes aliquem sociorum sit, & alicujus sociorum quid ablit cum eo solo agendum, penes quem ea pecunia sit, quae deducta, de reliquo quod cuique debeatur, omnes agere possunt.]

634. **DICENDUM** 3. Quando aliquis ex sociis constituit aliquem Institorem (hoc est, qui negotiationi praestit) si illum non omnium sociorum nomine constituit, nec ad hoc mandatum habuit, etiam si ceteri socii seiverint eum constituisse, nec contradixerint, lucrum per talem Institorem questum est quidem omnibus commune, sed non damnū quod per eum datum est, hoc enim damnū erit solius constituentis, qui sociis de eo tenebitur actione pro socio, non secus ac si ipse commisset. Neque refert, quod ceteri socii non contradixerint: ideo enim censentur non contradixisse, quia supponebant, quod si damnū societati illaturus esset, ad constituentem pertineret, non ad socios. arg. legis 23. §. 1. ff. h. t. ubi Pomponius quaerit [an commodum quod propter admissum sociam accessit, compensari cum damno, quod culpa praebuit, debeat, & ait compensandum, quod non est verum (inquit Papianus) nam & Marcellus scribit, si servus unus ex sociis societati à Domino praepositus negligenter versatus sit, Dominum societati qui praeposuerit praestaturum, nec compensandum commodum, quod per servum societati accessit cum damno.]

635. **DICENDUM** 4. Illi qui communi nomine aliquem constituerunt Institorem, non possunt invicem de Institoris facta actione competant. Ratio est, quia actio hypothecaria est accessoria obligationis personalis, ut superius dictum est, & suo loco dicitur. Ergo si socius potest obligare personam socii, quod est principale, erit etiam potestas obligandi bona illius. Quam tamen consequentiam non existimo legitimam, quia licet actio hypothecaria sit accessoria hoc sensu, quod supponat obligationem personalem, quia tamen habet specialem utilitatem, & inserti novum gravamen, possit sanè socius consentire in obligationem personalem, & non consentire in obligationem rerum suarum.

636. **DICENDUM** 5. Illi qui communi nomine aliquem constituerunt Institorem, non possunt invicem de Institoris facta actione competant. Ratio est, quia actio hypothecaria est accessoria obligationis personalis, ut superius dictum est, & suo loco dicitur. Ergo si socius potest obligare personam socii, quod est principale, erit etiam potestas obligandi bona illius. Quam tamen consequentiam non existimo legitimam, quia licet actio hypothecaria sit accessoria hoc sensu, quod supponat obligationem personalem, quia tamen habet specialem utilitatem, & inserti novum gravamen, possit sanè socius consentire in obligationem personalem, & non consentire in obligationem rerum suarum.

gere, sed damnū ab eo datum illis, qui constituerunt, commune est. l. 24. eod. [Planè, si ambo socii servum alterius praeposuerint, non tenebitur Dominus ejus nomine, nisi dumtaxat de petito: commune enim periculum esse oportet, cum ambo eum praeposuerint.]

637. **DICENDUM** 6. Quando Ius est individuum, non potest ab uno socio sine altero exerceri in praedictis ejusdem, v.g. si Ius est individuum, tunc, quando eius exercitum adfert utilitatem, v.g. nullam, non potest ab uno sine altero, aut eius consensu exerceri, arg. legis 34. ff. de servit. praed. rust. ubi dicitur: *Unus ex Sociis fundi communis permittendo Ius esse, agere, nihil agit.* Hinc monet Andreas Gail, & ex eo VVidman, in ejusmodi casu socios communi relictos castri pro indiviso possidentes super Iurisdictionis exercitio convenire debere, ut singuli simul, vel alteratim Iurisdictionem exercerent: quod si convenire nequeant, esse à Superiore componendos. Idem AA. advertunt, non posse unum socium ab altero puniri, si tantis adversus alterum delinquit, cum quo habet castrum & Iurisdictionem communem, sed Superiorem ad eundem esse: nisi delicti gravitas tanta esset, ut moram non pateretur, v.g. seditio, latrocinium. Sed haec ad nostrum intentum non pertinent.

CONTROVERSIA XIII.

Quenam Actiones competant Sociis.

SUMMARIUM.

An Actio pro Socio utringue directis, deus etiam durante Societate. 636.

An deus omnibus habentibus rem aliquam communem. 637.

An praeter hanc actionem deus Sociis etiam alia. 638.

An deus actio legis Aquiliae, vel Furti. 639.

Cur actio legis Aquiliae non concurret cum actione pro Socio. 640.

EX plurimis legibus jam relatis constat dari actionem pro Socio: quae actio est utringue directis, quia contra se pari iure gaudent & tenentur, & hoc Iudicium vocatur Iudicium Societatis. In quo Iudicio si socius de dolo convictus fuerit, fit infamis, ut habetur §. 2. Inst. de poena reme- tris. ubi. [Item pro socio, quae ab utraque parte directis est, & ob id quilibet ex sociis ex eo Iudicio damnatus ignominia notatur.] Ceterum,

jam supra actum est de beneficio competentie, quod socio convenit, ut non possit conveniri, nisi quantum facere potest in sensu ibi explicato.

636. QUÆRITUR 1. An hæc actio detur etiam durante Societate. *Re.* Exare de hoc legis 65. §. decimum quintum, ubi dicitur. [Nonnunquam necessarium est, & manente Societate agi pro socio, veluti cum societas vectigalium causa coita est: propterque varios Contractus neutri expediat recedere à Societate, nec refertur in medium quod ad alterum pervenerit.] Regulariter tamen loquendo non instituitur hæc actio nisi finita Societate, cujus elegantem rationem tradidit Baldus. [Quædam, inquit, sunt actiones, quæ desiderant contractum finiri, sicut est actio pro socio: quia dum socii, non potest esse adversarii: Victoria enim non proficeret victori, sed in Societatem reflecteretur.]

637. QUÆRITUR 2. An hæc actio pro socio detur omnibus illis, qui rem aliquam communem habent. *Re.* Negative, non enim datur illis qui absque contractu societatis in rem communem incidunt, ut habetur lege 31. & 32. ff. h. t. [Ut sit pro socio actio, Societatem intercedere oportet. Nec enim sufficit rem esse communem, nisi societas intercedat. Communiter autem res agi potest etiam contra societatem, ut puta cum non affectione societatis incidimus in communionem, ut evenit in re dubius legata; item si à duobus emptæ res sit: aut si hereditas vel donatio communiter nobis obvenit: aut si à duobus separatim emimus partes eorum, non socii futuri. Nam cum tractatu habito societas coita est, pro socio actio est: cum sine tractatu, in re ipsa & negotio communiter gestum videtur.]

638. QUÆRITUR 3. An præter actionem Pro Socio, detur sociis etiam alia actio. *Re.* Imprimis datur illis actio communi dividundo: nempe ad obtinendam divisionem commodorum & incommodorum, lucrorum & damporum: ita tamen ut una intentata, altera tollatur & perimatur, quatenus ad eundem scopum tendunt, ut habetur l. 38. §. 1. ff. h. t. [Si tecum societas mihi sit, & res ex societate communes, quam impensam in eas fecero, quosve fructus ex his rebus ceperis, vel pro socio, vel communi dividundo me consecuturum, & altera actione alteram tolli Proculus ait.]

Dixi: quatenus ad eundem scopum tendunt. Nam si actioni necdum mota plus inestet, quam illi quæ mota est, illa non tolleretur, & hoc modo intelligenda est lex 45. quæ alioquin priori contraria videtur. [Si actum sit communi dividundo, non tollitur pro socio actio quoniam pro socio & nominum rationem habet, & adjudicationem non admittit. Sed si postea pro socio agatur, hoc minus ex eâ actione conse-

quitur, quam ex prima actione consecutus est.] Itaque hæc duo judicia habent se ut excedentia & excessiva. In actione communi dividundo tantum veniunt corporalia, non nomina. In actione pro socio non veniunt adjudicationes, cum per eam non divisio, sed communicatio fiat (inquit glossa) sed tantò minus consequitur per actionem pro socio, quantum plus consecutus est per actionem communi dividundo, ut explicat Vivianus.

639. Tertiò, potest socius contra socium intentare actionem Legis Aquilia, si res communis à socio damnum ex culpa passa est. Quartò etiam actio furti socio adversus socium competit, si manifestum sit, dolo malo rem amovam fuisse, vel animo celandi contraxerat: probatioque actori incumbit, alioquin præsumitur, voluisse re uti tanquam dominus partialis. Quomodo autem hæc actiones cum actione pro socio concurrant, & una alteram tollat vel non tollat, habetur sequentibus Iuribus. lege 45. ff. h. t. [Rei communis nomine cum socio furti agi potest, si per fallaciam dolo vel malo amovit, vel rem communem celandi animo contraxerit. Sed & pro socio actione obstrictus est, nec altera actio alteram tollit. l. 47. Sed si ex causa furtiva condixero, cessabit pro socio actio, nisi plurius meâ interfit. §. 1. Si damnum in re communis socius dedit. Aquilia teneri eum & Celsus, & Iulianus & Pomponius scribunt. l. 48. Sed nihilominus pro socio tenetur. l. 49. Si hoc factò societatem lasit, si v. g. negotiorum servum vulneravit, vel occidit. l. 50. Sed actione pro socio consequitur, ut altera actione contentus esse debeat, quia utraque actio ad rei persecutionem respicit: non ut furti, ad penam duntaxat.]

640. Verùm, hic statim obijci potest, quod etiam actio ex lege Aquilia sit pœnalis: ergo idem dicendum esset de hac actione, quod de actione furti, nempe ita concurrere cum actione Pro Socio, ut una alteram non tollat. Verùm, respondetur cum glossa negando pariter, quia actio furti penam duntaxat persequitur, actio ex lege Aquilia etiam rei æstimationem. Quare si prius lege aquilia actum est, non erit amplius locus actioni pro socio. Sed si actio pro socio prius fuisset intentata, adhuc fore locum actioni ex lege Aquilia, quamvis hoc glossa videatur negare dum dicit: *ideo postea non intenditur.* colligitur tamen ex lege 34. §. fin. ff. de obl. & act. ubi comparatur cum actione commodati. [Et hoc in legis aquilia actione dicitur, si tibi commodavero vestimenta, & tu carperis: si tibi commodavero actiones rei persecutionem continent: & quidem post legis aquilia actionem utique commodati finietur. post commodati aquilia remaneat in eo, quod in repetitione triginta dierum amplius est, dubitatur; sed verius est remanere,

quia

§ II.

Secundus Modus dissolvendi per Renuntiationem.

641. Hunc modum dissolvendi ponit Imperator statim sequentibus verbis. [At cum aliquis renuntiaverit Societati, solvitur societas, quod tamen intelligendum est, quando societas non fuit inita cum definitione certi temporis.] Vnde

QUÆRITUR 1. An si socius ante tempus præfixum elapsus aliis non consentientibus renuntiet, ita non valeat renunciatio, ut renuntiant nihil obstat. *Re.* In tali casu renunciatio eatenus nocet renuntianti, quatenus solum damnum, non item lucrum illi commune manet ut habetur l. 65. §. 6. ff. h. t. paulò post referendo, & constabit à fortiori ex dicendis de eo, qui renuntiat aliis absentibus in casu nullius temporis definit, & quando quisvis renunciare potest.

QUÆRITUR 2. An nulla sit exceptio, quæ possit quis renunciare validè etiam, quando tempus est definitum. Respondetur, enumerari in Iure quatuor hujusmodi exceptiones, & eventus. Primus, si à reliquis sociis conditiones & pacta conventa non serventur. Secundus, si injuriam aut nocumentum à sociis patiat, quod prudentis arbitrio ferendum non sit. Tertius, si desinat esse spes obtinendi finem, principaliter per contractum societatis intentum. Quartus, si ad renuntiandum inducatur in vitus, propter absentiam Reipublicæ causam subeundam, neque commodè possit aliis sociis aut alteri tertio curam committere. Habentur hæc seqq. Iuribus. l. 14. 15. & 16. ff. h. t. l. 14. [Si convenit inter socios, ne intra certum tempus communis res dividatur, non videtur convenisse, ne à societate abeat: qui tamen si hoc convenit, ne abeat? ut eleganter Pomponius scripsit, frustra hoc convenit, nam & si non convenit, si tamen intemptivè renuntietur societati, esse pro socio actionem. Sed NB. etiam convenit, ne intra certum tempus societate abeat: & ante tempus renuntiat, potest rationem habere renunciatio: nec tenebitur pro socio, qui ideo renuntiat, quia conditio quedam, quæ societas erat coita, ei non præstat: aut quid sit ita injuriosus & damnosus socius sit, ut non expediat eum pati? l. 15. Vel quod eâ re frui non liceat, cuius gratia negotiorum suscepta sit: l. 16. idemque erit dicendum, si socius renuntiaverit societati, qui reipublicæ causâ diu & in vitus sit absenturus: quamvis nonnunquam ei obijci possit, quia potuit & per alium societatem administrare, vel socio committere, sed hoc non aliis, nisi validè sit idoneus socius, aut facilis absenturo etiam

Cc 3

per

quæ simplò accedit, & simplò subduco locum habet.] ubi nota, legi in pluribus exemplaribus non habet. Sed per errorem irrepsit part. non. ut ex contextu nimis manifestum est, & notarunt Cujacius, Hotomannus, Robertus, Mercator, & glossa Gotofredi.

CONTROVERSIA XIV.

Quibus Modis Societas Dissolvatur.

§ I.

Primus Modus dissolvendi mutuo consensu expresso vel tacito.

SUMMARIUM.

Potest societas dissolvi etiam tacito consensu. 641.

Renunciatio aliis non consentientibus facta, an renuntiant obstat. 642.

An sit aliqua exceptio, quæ possit renunciari, quando tempus est definitum. eod.

Quæ conditiones observandæ sint renuntianti. 643.

An uno defuncto dissolvatur societas etiam quoad reliquos. 645.

An ad hæredes transeat actio, etiam si non fiat socius. eod.

An duret societas moriente socio, ignavis reliquis negatium perscientibus. 646.

Quomodo per mortem finiatur societas circa culturam v. g. vineæ. 647.

An etiam dissolvatur morte civili. 648.

An rei interitu non solum naturali, sed etiam civili. 649.

641. Habetur §. 4. Inst. h. t. [manet autem Societas eorum; donec in eodem sensu perseveraverint. l. 5. C. h. t. Tam diu Societas durat, quam diu consensu partium integer perseverat.] Non est autem necesse, hunc mutuum consensum esse expressum, potest enim tacite fieri, & ipso facto exterius manifestari, sicut supra diximus posse societatem hujusmodi tacito consensu contrahi, & habetur lege 64. ff. h. t. [Itaque cum separatim socii agere ceperint, & unusquisque etiam sibi negotietur, sine dubio jus Societatis dissolvitur.]

Ad hunc dissolvendi modum, ut à sequente, qui fit per renunciatiorem, distinguatur, necesse est, fuisse inita societatem cum definitione temporis certi, intra quod non liceat cuivis recedere, bene tamen utriusque consensu, juxta vulgaria, quod per quas causas quid nascitur, per easdem dissolvatur.